EXERCITATIO HISTORICA QUA NOSTRUM IMPERIUM GERMANICUM...

Johann Ulrich Pregitzer, Johann Christoph Moser, Valenti Gonzaga

Digitized by Google

VIRO

GENEROSI STEMMATIS EX-
CELLENTIA, STRENUITATE, VIRTUTUMQUE
ANTIQUITATE ET PRUDENTIA EMI-
NENTISSIMO

DN. JOHANNI CUNRADO Ehingern

â Balzheim. ꝛc. Hæreditario in grosſen Kötz & Neuhauſen. ꝛc. inclytæ ac liberæ Imperialis Ulmæ Senatori reique ibidem armamentariæ Præfecto ſupremo. &c.

Domino Matrueli ac Evergetæ ſuo æviternum ſanctè colendo

Has Studiorum ſuorum primitias in obſequioſæ gratitudinis ara cum omnigenæ proſperitatis, perennantis cum primis ſanitatis voto calidiſſimo

Libat atque litat

JOHANN-CHRISTOPH MOSER.

Cum Meo JESU!

TRahi à ſua quemque voluptate magnetico quodam & arcano naturæ raptu, indubitatæ fidei res eſt. Hunc juvat corpus in palæſtrâ arenariâ ad varias velitationes informâſſe: Illum verò animum in bonarum literarum cognitione probè imbuiſſe. Qui in poſterioribus numerantur, vel cum Philoſophis ſcientiæ & prudentiæ deſiderio rapiuntur; vel amant ingenioſa Poëtarum lenocinia, vel mellitis Oratorum floſculis capiuntur. Quod verò me in ſui amorem allicit, id Hiſtoria eſt, Doctiſſima vitæ Magiſtra. Illa enim mihi amicè conſpirare videtur cum Philoſophia præſertim practicâ, Oratoriam animare, ipſam verò Poëſin, utpote pro fictis vera ſubſtituendo, longiſſimè ſuperare. Sine hâc ipsâ Orator eſſet mutus, Philoſophus cœcus. Hic enim occurrunt

viva vitæ exempla, quæ nos de vitiis dehortantur, ad virtutem informant, & eò vehementius movent, quò propiora magiſque explorata & certa nobis habentur. Hæc ipſa præſertim inſignis ad Iuriſprudentiam in futurum comparandam Hiſtoriæ utilitas & neceſſitas, mihi extitere cauſa, cur intra domeſticos parietes huic ipſi Hiſtoriæ animum applicare libuerit. Ut verò tanquam umbraticus miles etiam quandoque in apertum campum producar, placuit Superiorum juſſu quaſdam conſcribere Theſes, ut ex umbra ad aciem progredi, & ſic ad oppugnantium ictus, quantum mei valeant humeri, explorare queam. In tantâ autem rerum varietate, obtulit ſe mihi elegantiſſima *de modo Germanorum quovis tempore in conſtituendis Regibus & Imperatoribus uſitato* diſſerendi materia. Quæ quamvis ſatis ardua & à Viris potius, in antiquitate verſatis ſit tractanda, id mihi tamen pro temerario non habitum iri ſpero, cum id unicè fiat, ut per qualecunque hoc conamen

vires

vires periclitarer, meque titubantem eruditorum diſcurſui committere diſcam.

Nam in magnis voluiſſe ſat eſt, ſi non datur ultra.

DEUS omnium Optimus faveat huic Iuvenili conamini, idque ad exoptatum finem promoveat clementiſſimè.

THESIS I.

DUos eſſe ad regnum perveniendi modos, Electionem nimirum & Succeſſionem, hactenus omnium Regnorum docuit Praxis. Quinam ex his alteri ſit præferendus, & quid quilibet commoditatis, vel incommoditatis ſecum trahat, noſtrum non eſt hâc vice diſquirere. Qui in utramque partem certas audire vult rationes, adeat Politicos, hac in re contentionis ſerram anxiè reciprocantes. Nos certi ſumus, utrumque modum ſua habere incommoda, præſertim, ſi non habeatur ratio Nationum: Cum huic Nationi conducat Electio, alteri Succeſſio; Et negligatur temporum obſervatio, quia hoc tempore utilis eſſe poteſt Electio, altero Succeſſio. Proinde tertium addimus modum, de utroque priorum participantem, qui ſucceſſionem dicit ſchemate Electionis coloratam, quem, ut ſæpius in Germaniâ noſtrâ obſervatum legimus, ita eundem quandoque tutiorem arbitramur.

II.

Antequam autem ad propoſitum noſtrum deſcendamus, frontem prius hujus Diſputationis non nihil contemplabimur. Venit autem nobis Reſpublica Germanica

nica ſub titulo Imperij Germanici, quam alij nunc Imperium Romanum, nunc Imperium Romano-Germanicum, nunc Regnum Germaniæ appellitare ſolent: Quanquam ſi accuratè loqui velimus aliud ſit Regnum Germanicum, aliud Imperium ad Germanos translatum. Notandum autem probè eſt, quod quando Germania Imperium inſignitur, titulus iſte multum habeat authoritatis, & nulli potius in orbe Chriſtiano quàm Germaniæ nunc competere poſſit. Si quidem jam longi temporis uſus plurimarumque Nationum ſuffragia eum abundè confirmarunt. Quod ſi verò Galliæ aut Hiſpaniæ Regnum ſalutaretur Imperium, tùm titulus ita ſolennis non eſſet, ſed in generali ſaltem ſignificatu pro dominio ſcilicet, vel Regno quocunque adhiberetur. An autem Germaniæ Regis titulus eodem cenſu, quo cæterorum Regnorum ſit habendus, videatur Conringius de Imperat. Germ. Rom. c. 12. Hic ſtatim incidit quæſtio, an Imperium noſtrum Germanicum, etiamnum hodiè Romanum appellari jure merito poſſit? Id quod nos, non obſtantibus Diſſentientium argumentis (de quibus forſitan in conflictu dicendi erit occaſio) intrepidè aſſerimus, moti tùm authoritate S. S. Literarum, tùm rationibus pluribus aliis, quas jam operoſe proſequi inſtituti noſtri ratio non permittit. vid. Dn Bœcler. in Diſſertatione de S. R. Imperio. Dn. Carpzov. Comment. in Leg. Reg. c. 1. ſect. 15.

III.

Animus jam eſt ipſam rem aggredi, eamque ab origine deducere omnem, quod ut eò melius fiat, in ipſa Reip. Germanorum primordia inquiramus neceſſe eſt, de cujus formis & ſtatu vid. Philipp. Cluver. in Germ. antiq. lib. 1. c. 37. & ſeqq. Dn. Conring. de Rep. vet. Germanorum. Commodioris tractationis gratia quatuor memorabiles epochas, ſecundum quas Germanorum

Reſ-

Reſpublica venit ſpectanda, percurremus. Prima ætas initium ducit ab origine Germanorum & extendit ſe uſque ad tempora Julij Cæſaris Rom. Imperatoris. (II.) à Julio Cæſare uſque ad Carolum M (III.) à Carolo M. uſque ad Fridericum II. (IV.) à Friderico II. uſque ad hodiernum diem. Quas ætates iterum in diſtincta tempora, ſecundum varias mutationes diſpeſci poſſe non dubitamus: Nos ſequimur has præcipuas.

IV.

Quod primæ ætatis periodum concernit, quâ ratione imperaturi dignitatem ſuam obtinuerint, non valemus exprimere, eò quod illius ætatis Hiſtoria neutiquam haberi poſſit. Erant enim antiquiores Germani (teſte Tacito) homines rudes, barbari, omnis eruditionis neſcii; adeoque nihil Hiſtoriarum condere cœperunt, neque potuerunt; ut qui potius ſcribenda fecerunt, quam facta ſcripſerunt Taceo ut expreſſum legamus modum, ſecundum quem ad regiam dignitatem fuerint evecti. Nominant quidem ſuppoſititius ille Beroſus, Aventinus & ex his alij, unum & alterum iſtius tempori s Regem utpote Tuiſconem, Mannum, Ingevonem &c. ſed abſque fide Hiſtorica. Quid enim de his nominibus ſentiendum ſit, doctè exponit Philippus Cluverius, in ſuâ *Germaniâ antiquâ lib.* 1. *c.* 9. item Petrus Bertius *in Commentar. Rer. German. lib.* 1. *c.* 1. *quos vide.* Ex quo autem tempore germanis bella intulere Romani, quod primum à Julio Cæſare factum, ex eo quoque & ſequentibus temporibus Res Germanorum hiſtoriæ Romanorum fuerunt inſertæ, non à Germanis, ſed ipſis Romanis. Cumprimis autem quidquid eo tempore notum eſſe poteſt, illud omne ex Cæſare, Strabone, Dione Caſſio, Vellejo Paterculo, Tacito, Floro petendum eſt, apud quos multa de iſtius ætatis Regibus & Principibus Germanis, Arioviſto videlicet,

Marro-

Marroboduo, Vannio, Quado, Jubillio, Armenio. &c. leguntur. Porro quantum antiquis temporibus non Romani tantum, ſed & Græci, Rerum Germanicarum habuerint notitiam, docet Cluverius in Germ. Antiqua Lib. 1. c. 1. Petrus Bertius Commentar. Rer. German. lib. 1. c. 2. & ſeqq. Regum igitur Germanicorum conſtitutionem quod concernit ex Tacito, de mor. Germ. c. 7. 1. (ad quod videatur Dn. Kirchmajer) intelligimus, morem fuiſſe Germaniæ populis *ex nobilitate*, id eſt, habita ratione generis, adeoque ex ſanguine Regum, Reges ſibi eligere. Huc facit quoque quod Johannes Trithemius de primo Rege Francorum Pharamundo ſcribit: *Poſt obitum Ducis Genebaldi convenientes in unum Proceres, & majores natu Francorum conſilium habuerunt inter ſe, maturum judicantes ut* MORE VETERUM *ſibi Regem conſtituerent ex* DUCIBUS *unum.* Et paulò poſt; *tandem unanimi conſenſu Pharamundum Ducem Franciæ Orientalis apud Herbipolim in Regem Francorum ſibi elegerunt, qui filius fuerat Marcomiri Ducis.* Ex quibus diſpaleſcit, Germanos antiquiſſimis temporibus elegiſſe quidem ſuos Reges liberè, ita tamen, ut illa Electio ad Familiam Heroicis Majorum factis illuſtrem ut plurimum reſpexerit.

V.

Poſtquam ſubſequenti dein ætate, victricibus tàm Pipini, quàm Caroli armis, non tantùm univerſa Germania, uſque ad mare Balticum, verùm etiam Gallia omnis & Italia, uſque ad extremam Calabriam, Hiſpaniæ item pars ad Iberim Amnem uſque unà cum Pannonia eſſet ſubacta, modus ille ad Imperium perveniendi, fuit mutatus. Ipſum quidem Carolum per conſenſum quoque Populi regiam dignitatem conſecutum fuiſſe novimus; alia verò ratio eſt poſt ipſius tempora. Omnium optimè hic nos docebit Eginhardus Caroli M. Cancellarius: *Pipinus in-*

quiens

quiens, obiit, ſuperſtitibus liberis Carolo & Carolomanno, ad quos ſucceſſio Regni divino nutu pervenerat. Franci ſiquidem facto ſolenniter generali conventu, ambos ſibi Reges conſtituerunt, eâ conditione, ut totum Regni corpus ex æquo partirentur. In quibus duo cumprimis obſervanda; primò, quod ſucceſſio in Regno divino nutu ad Carolum ejuſque fratrem perveniſſe dicatur. Deinde quod Franci facto generali conventu, ambos ſibi Reges conſtituerint. Ex quo colligere licet, Filium quidem Parenti ſucceſſiſſe, ſed tamen inſimul Populi conſenſum ſuper hâc re impetrari debuiſſe. Poſt Carolum verò M. videbatur omnis Electio penitus expiraſſe, ita ut Germaniæ Regnum unà cum Romano Imperio prorſus factum ſit hæreditarium, quod inde conſtat, quia Parens Carolus abſq; ie ullius conſenſu Filium Ludovicum ſibi ſucceſſorem delegit, qui mos deinde per CXII. annos fuit obſervatus. Poſt Carolidarum Familiam autem, ex neceſſitate per Electionem Conrado I. ſceptra delata ſunt, indeque ad Heinricum Aucupem tranſiere, ſeu à Francis ad Saxones, ita ut per Conradum morientem hæres Regni ſit deſignatus (ex quo ſatis intelligi notat Dn. Bœclerus in notitia S. R. Imp, lib. 4. c. 1. quod iſto tempore non eviluerit juris ſucceſſorij authoritas) in quem deinde reliqui etiam Germaniæ Principes conſenſerunt, eundemque in conventu Fritislarienſi Regem & Auguſtum fecerunt, prout teſtatur Reginonis continuator Abbas Brumienſis in chronico lib. 2. citante Carpzov. de Leg. Reg. ita autem ille; *Anno inquit Dominicæ incarnationis 920. Heinricus Dux conſenſu Francorum, Alemannorum, Bavarorum, Thuringorum & Saxonum Rex eligitur, qui initium ſui Regni diſciplina ſervandæ pacis inchoavit.* adde Cuſpinianum in vitâ Conradi I. & Heinrici I. Iohann. Conrad. Dieterichium in vita Heinrici I. Aucupis §. 3. Cranzium lib. 3. Saxoniæ c. 4. Mortuo Heinrico Aucupe rurſum proceſſit ſucceſſio, per

ejus poſteros, ita ut jus tranſmittendi Imperium, ad Hæredes æque fuerit proprium Heinricianæ Saxonum familiæ, ac Carolinæ Francorum, quod apparet in Ottone I. Magno, (in cujus perſona Imperium primùm ad Germanos pervenit) hujuſque filio, & Nepote Ottone II. & Ottone III. vid. Luitbrandum lib. 4. c. 7. Witichindum lib. 1. in fine. Dn. Bœclerum, & Dn. Dieterichium in vitâ Ottonis I. Cùm deinceps Otto III. ſine hærede moreretur anno Domini 1002., Heinricus II. ab omnibus penè Regni Primoribus fuit electus. Quomodo autem Heinricus II. jure hæreditario niti voluerit, exinde conſtat, quod ille inſignia Imperij Heriberto Archiepiſcopo Colonienſium (quia in illius electionem non conſenſerat) tanquam jure ſanguinis ad ſe pertinentia extorſerit; habuit enim is Avum Heinricum I. Aucupem Imp. vid. Sigebertus Gemblacenſis ad annum 1002. Sigonius de Regno Italiæ, pag. 187. Cuſpinianus in Heinrico II. Dieterichius in Heinrico II. §. 9. Hic Heinricus II. Multis in Germaniâ, Bohemiâ, Apuliâ fortiter ac proſperè geſtis bellis, poſtremò Epiſcopatum Bambergenſem fundavit. vid. Dieterichius. loc. cit. §. 5. Mortuo Heinrico II. Conradus II. Saliquus in ejus locum fuit electus, de quo Abbas Urſpergenſis in chron. *Anno* inquit *Dominicæ Incarnationis* 1025. *Conradus ex Regni Primoribus unus, ſed. Regno ante per rebellionem adverſus, Principibus pro ejus electione diſſidentibus, Aribone autem Moguntino Archiepiſcopo, & Eberhardo Bambergenſi Præſule, ſibi faventibus Regnum ſuſcepit.* Quam multum autem in creando Conrado Saliquo valuerit judicium Heinrici II. apparet ex Sigeberto, & Brovvero in Trevirenſibus, vid. etiam Cuſpinianus in vita Conradi Salici. Conrado Salico fatis defuncto, Filius Heinricus III. poſtea Heinricus IV. Nepos ſucceſsit; hoſce ſubſecutus eſt Heinricus V. Pronepos, qui reſignante Imperium Patre (ſub quo

fertur

fertur lex lata de Electione impoſterum amplectenda, ſed abſque fundamento (vid. Dn. Bœclerus in notitia S. R. I. lib. 4. c. 1.) eidem ſucceſsit. Mortem obeunte Heinrico V. Lotharius II. Imperator, non jam jure ſucceſsionis, ſed electionis ad ſceptra Imperij pervenit, vid. Otto Friſing. lib. 7. c. 17. Lothario, rurſus deficiente hærede maſculo, ſine prole decedente; neceſsitas locum electioni fecit in Conrado III. contra quem notanda eſt prætenſio Heinrici ſuperbi, Bavariæ & Saxoniæ Ducis, qui quod gener eſſet Lotharij Imperatoris, electionem Conradi III. infirmare, & ſibi aſſerere ſtuduit. vid. Otto Friſ. l. c. Cuſpin. in Conrado III. Electionis quoque jure poſt obitum Conradi III. Fridericus Barbaroſſa Regnum obtinuit, videatur ſæpius citatus Otto Friſing. lib. 11. de geſtis hujus Friderici. Quanquam haud parùm in eo valuerit delegatio Patrui Conradi III. qui Regalia Imperij Duci Friderico reliquit, & propter clariſsima facinora, ſucceſſorem ſuum digniſsimè judicavit, petens, ut unico filiolo Ducatum ſaltem Sueviæ, cum adoleſceret, concederet. Cuſpin. pag. 316. & 323. Cumque mortuus eſſet Fridericus Barbaroſſa anno Domini 1191. Heinricus hujus nominis VI. Friderici I. filius Regnum accepit. Qui prius à Patre Rex fuerat deſignatus, & de conſenſu Principum coronam Aquisgrani accepit. Abbas Urſp. in chron. Eoque extincto duo ſimul Imperatores fuerunt, nempe Philippus Suevorum Dux Heinrici VI. frater, & Otto IV. Dux Saxoniæ. Pars enim Electorum Ottonem elegit, pars Philippum, ab Heinrico fratre per Regalia inſtitutum, conſervandum cenſuit. Poſt hos Fridericus II. Rex Siciliæ, filius Heinrici VI. Imperatoris ſuaſu Philippi Francorum Regis (qui Ottonem IV. Imperio dejecit) Imperator, Adoleſcens adhuc Francofurti eſt electus. vid Cuſpin. p. 333. & 337. Hic Imperator vi-

vus adhuc, Cæſares creari juſsit, Heinricum & Conradum filios, contra ipſum autem, inſtigante Pontifice, Imperatores electi ſunt Heinricus Landgravius Thuringiæ, & Wilhelmus Comes Hollandiæ.

VI.

Poſt obitum verò Friderici II. & Wilhelmi, Principes Imperii ſæpè convenerunt, antequam in electione unius Imperatoris coire poterant, quibuſdam Richardum Regem Angliæ, quibuſdam Alphonſum Regem Caſtellæ eligentibus. Illo autem Angliam mox repetente & in obſidione Londinenſi jaculo occiſo, hoc autem moderationem Imperij ſpontè abdicante, Rudolphus Comes Habſpurgenſis, ex liberrima Principum Septem-Virorum (quorum origo in iſta tempora incidit, ut ab eruditioribus creditur) electione Imperator eligitur. Ab hujus Rudolphi familiâ tanquam ex ſtirpe, ſurgit in immenſum hodiernæ Auguſtiſſimæ Domus Auſtriacæ arbor, florenteſque hinc inde Regiis & Imperatoriis fœtibus rami. Commovit ab iſto tempore Sereniſſimæ ac Potentiſſimæ hujus Auſtriacæ Domus florentiſſima propago Imperii Electores, ut ex ea ut plurimum Teutonici orbis deſumerent Gubernatores, qui jam per CCXXX. & quod excurrit annos, continuâ ſerie, ſine Electionis liberæ præjudicio, Orbi Chriſtiano præfuerunt. Non poſſum hîc præterire Johannem Petrum Lotichium, qui citante Johann. Juſto Winckelmanno, feliciſſimus in hâc parte Flori imitator Auguſtiſſimam Auſtriacorum Archi-Ducum familiam, tanquam hominem conſiderat, & quatuor illos gradus proceſſuſque, & inter hos primam ætatem ſub Rudolpho I. Alberto IV. & Friderico III. Pulchro conſtituit, & hanc dicit infantiam. Ubi autem ſub Alberto II. & Friderico III. eminentia, authoritas, opeſque creſcerent, conſtituto jam Auſtriæ Archi-Ducatu,

catu, Imperatorum Germanorum ſeminario, quis hanc non nominabit Adoleſcentiam, tanquam jam lacertos movere potentem? Succeſſit paulò lætior robuſtiorque ſub Maximiliano I. Carolo V. & Ferdinando I. Imperatoribus, Juventus. Quibus inſuper accedunt ſanguinis Imperatorij quinque, nimirum Maximilianus II. Rudolphus II. Matthias, Ferdinandus II. Ferdinandus III. & Leopoldus Glorioſiſſimus noſter, (quem DEUS ſaluti publicæ quam diutiſſimè ſervet) Imperator. Ideò quis hanc virilem ætatem dixerit.

VII.

Itaque mos & conſuetudo in Germaniâ hactenus obſervata, id nos docere poterit, quod nimirum electio Regum, & Imperatorum Germaniæ, in aliquot familiis cum ſucceſſione quodam modo fuerit conjuncta, id quod tamen non obſtat, quo minus Electio hodie in ſe, & de lege nihilominus maneat libera. Abſit enim ut nos abſolutam Electorum in eligendo Imperatore libertatem limitemus, quæ ex lege Aureæ Bullæ eſt & manet liberrima, ſed hoc noſtrum erat propoſitum ex Hiſtoriâ & experientia demonſtrare, quod ob certas & graviſſimas cauſas ſceptra ſæpius certis illuſtribus familiis fuerint delata, eòque ad ſanguinem ſucceſſivum ex parte inclinarint.

Atque ita hactenus, Divinâ annuente Gratiâ, id quod erat propoſitum, præſtiti; eâ quam ingenium permittebat facultate. Si forſan cui juvenilis hic conatus minus ad palatum, eum quæſo, ne in ſe ipſum tàm injurius eſſe velit, ut ſe propter qualecunque hoc conamen, è bonorum numero proſcribat, cùm juxta Sapientum monitum, omnes boni Iuventutis ſtudiis faveant. Non omne ſimul ac natum, etiam perfectum eſſe, Cicero jam pridem nos docuit. Sufficit hâc vice ſaltem tentâſſe; etſi inter primos

conſiſtere non licet, ultimæ tamen partes mihi non denegabuntur.

SOLI DEO GLORIA.

COROLLARIA.

Status Imperii Germanici non eſt purè & abſolutè Monarchicus.

II.

Neque etiam Ariſtocraticus.

III.

Sed Ariſtocratiâ temperatus.

I.

Poſt plures annos gignit ſpes aurea facta,
    Spes author facti nobilis eſſe ſolet.
Jam palmare patras factum; Spes fida parentum;
    Dum Muſis offers omnia dona tuis.
Elige divitias mentis cum Palladis arte,
    Et ſic incendas, lumina clara ſpei.
Fac porro ut fiat felix ſucceſſio facti,
    Et ſic exhibeas fata ſecunda rei.

VVolffgangus Fridericus à Kreckvvitz.
Eq: Sil:

II.

II.

Dum ſcandis cathedram primâ florente Iuventâ
Ac ex Hiſtoriis themata docta doces:
Gratulor ex animo, dederint quod tale politum
Ingenium tibimet Numina ſumma Poli.
Hocque ut conſervent porro, & ſimul ejus adauctent
Vires, nec non dent proſpera Fata, precor.

Adam Gall â Kreckvvitz.
Eq: Sil:

III.

Daß Herr Vetter ſeine Feder tuncket in den Flüſſen ein
Klug-gelehrter Held-Geſchichten: das kan uns ein Zeichen ſeyn/
Daß Er einſten Ehren voll werd mit Kunſt und Tugend prangen
Wohl / ich wünſche Glück darzu! Gott laß Jhn viel Ehr erlangen/
Daß durch Jhn mög ferner leben der berühmte Ahnen Nahm
Vnd noch lange Jahre blühen / der bepreißte Moſers-Stamm
Daß Er ſeinen Eltern mög machen groſſen Troſt und Frewde
Gott laß leben Jhn und Sie / lange Zeiten ohne Leide.

Mit diſem wenigen wolte gegen ſeinen vielgeliebten Herrn Vettern ſeine gebührende Pflicht-Gebühr abſtatten.

Chriſtoph Albrecht Ehinger.
Von Balzheim.

IIII.

Alſo / diß heißt wohl gethan! wann man noch bey frühen Jahren
dencket / lieſet / ſchreibet / redet / was die Vorwelt hat verricht:
Der

Der kan auff der Ehren-Bahn / ſich noch jung mit Klugheit paaren/
wann er ſich als einen Spiegel dapffers-Thun ſtellt vor Geſichte

Großer Eltern groſſe Freůd! Zeigt nicht diß vornehmen Ehre
Welche iſt an dir zuhoffen? Wann du freůdig fängeſt an
einzutuncken deinen Kiel in dem unerſchöpfften Meere (Bahn
vnſrer Teutſchen Held Geſchlechter: Wohl/ du gehſt' die rechte

Dapffer drauff! laß keine Müh dich vom Tugend-Weeg abkehren
Der muß friſch in Schrancken lauffen / welcher will gecrönet ſeyn.
Auff ein ſolche Frůlings-Saat folgt ein Sommer Voller-Aehren/
Kunſt-begirigs Sinnen-Můhen holt den beſten Ruhm-Preiß ein.

Nicht zu hoch mit Phäeton: auch nicht in dem Stäuberligen:
Mitten durch im Ehren-Himmel geht die ſichre Tugend Straß:
Auch nicht jeder Vogel kan in die güldne Sonne fliegen.
Viele hat ſchon offt verblendet das zu helle Ehren-Glaß.

GOtt der weiß den beſten Weg / alles liegt an deſſen Seegen/
Nur mit Ihm wohl angefangen / ſo gelangt man zu dem Ziel/
Fleißig auch getretten fort in den ſchönen Tugend-Wegen: (viel.
Endlich ſihe' man in dem Alter / nach dem Schweiß deß Preiſes

Wohl! ich wůnſch von Hertzen Grund/ GOttes Gnad dich ſtets re-
Er beglůcke diß Vornehmen / Er geleit dich allezeit: (giere:
Daß dich immer fort und fort groſſer Fleiß und Tugend ziere:
Alſo werden hohe Eltern an dir ſehen tauſend Freud.

Mit dieſem geringſchätzigen wolte ſeine Hertzliche Gemůthes-Neigung bezeugen/und auch ſeinen untergebnen zu beſtändigſten Fleiß auffmuntern

Johann Stůbner.
Benef. Brand. Baruthinus.

F I N I S.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE